

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 5646

**Auteur(s) :** Avitie Haymardi, veuve de Guillaume Roonel [particulier]

**Bénéficiaire(s) :** Alice de Laleir, de Gauville, veuve de Martin Ernaud [particulier]

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1254, 11 novembre

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Avitie Haymardi, veuve de Guillaume dit Roonel, cède pour une durée de neuf ans à Alice dite de Laleir de Gauville[-la-Campagne], veuve de Martin Ernaud, deux pièces de terre sises dans la paroisse de Gauville[-la-Campagne] pour vingt sous tournois dont celle-ci s'est acquitté à ladite Avitie.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Études sur la condition de la classe agricole et l'état de l'agriculture en Normandie au Moyen Âge*, Évreux, Hérissey, 1851, Appendice X, p. 690-691.

b. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissey, 1862-1869, 3 vol., t. 2, p. 170-171.

Texte établi d'après b

Notum sit omnibus presens scriptum inspecturis quod ego Avitia Haymardi, relicta quondam Willelmi dicti Roonel defuncti, tempore viduitatis mee, tradidi et concessi ex causa locati Aelitie dicte de Laleir de Gauvilla, relicte quondam Martyni Ernaudi defuncti, duas petias terre sitas in parrochia de Gauvilla, quarum una sita est ad Foveam Neel, inter terram Willelmi Gaydun, ex una parte, et terram Willelmi dicti Peufi, ex altera, et altera petia sita est ad Colles, inter terram Willelmi Heuce, ex una parte, et terram Hugonis dicti Vavassorii, ex altera, usque ad terminum novem annorum, pro viginti solidis turonensium, de quibus predicta Aelicia michi plenarie satisfecit in pecunia numerata, ita videlicet quod prenominata Aelitia et heredes sui predictas duas petias terre ex causa locati tenebunt et possidebunt libere, quiete et pacifice, absque omni reddito et servitio, usque ad dictum terminum completum, et tenentur marnare totam terram predictam de nigra marna, et tenentur fodere vel facere fodi medietatem ejusdem terre infra dictum terminum. Ego vero prenominata Avitia et heredes mei predictas duas petias terre prefate Aelitie et suis heredibus contra omnes tenemur garantizare, et omnes redditus et servitia ad dictam terram spectantia dominis capitalibus facere et reddere, excepto campiparto. Juravi etiam ego sepredicta Avitia, tactis sacrosanctis euvangeliiis, in facie ecclesie de Gauvilla, sponte, quod omnia prescripta fideliter tenebo et inviolabiliter observabo, et quod in predictis duabus peciis terre neque per me neque per alium aliquid reclamabo, et quod predictas duas petias terre alicui alii modo aliquo non alienabo quousque predictus terminus, scilicet novem annorum, plenarie sit completus. Quo completo, ego et heredes mei predictam terram quitam rehabebimus. In cujus rei testimonium, ego prenominata Avicia presens scriptum sigilli mei munimine roboravi. Termino incipiente in festo beati Martyni hyemalis, anno Domini M° CC° quinquagesimo quarto.